DISQUISITIO MEDICA, INAUGURALIS, DE RABIE CANINA:

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex auctoritate Reverendi admodum viri

D. GULIELMI WISHART, S. T. D.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu, et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICAE decreto;

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS, ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

ALEXANDER BRODIE, SCOTO-BRITANNUS.

Ad diem 28 Julii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI:
Apud HAMILTON, BALFOUR, et NEILL.
M,DCC,LII.

6

AMPLISSIMO ET SPECTATISSIMO VIRO

JOANNI CAMPBELL

DE CALDER, ARMIGERO,

UNI EX MAGNAE BRITANNIAE ÆRARII

PRAEFECTIS;

INGENIO, DOCTRINA, MORIBUSQUE CLARO;

DISQUISITIONEM HANC MEDICAM,

QUALECUNQUE OBSEQUII SUI ET VENERATIONIS

MONUMENTUM

D. D. C. Q.

ALEXANDER BRODIE.

Digitized by the Internet Archive
in 2019 with funding from
Wellcome Library

https://archive.org/details/b30783732

DISQUISITIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

Rabie Canina.

MORBORUM, quibus urgentur miſeri mortales, hi omnium, qui ab animalium rabidorum morſu oriuntur, perniencioſiſſimi ſunt: nec eorum triſtior ullus, aut qui magis miſerationem commovet, quam qui à canis rabidi morſu proficiſcitur. De quo nunc paucis diſſerendum.

Auctorum, quos mihi videre contigit, vix ullus argumentum hoc ſatis dilucidè pertractâſſe videtur; et, cum ſit res immenſi operis, et de qua ſcriptores tantum inter ſe diſſentiant, ſi qui in hanc noſtram diſquiſitionem errores irrepſerint, horum me veniam facilè impetraturum ſpero.

De morbo hoc, inter auctores veteres, Dioſcorides, Galenus, Celſus, Aetius, Aegineta, Caelius Aurelianus; inter recentiores verò, Stalpart Vander Wiel, Liſterus, et Boerhaavius, optimè quidem meo judicio ſcripſerunt.

Clariſſimus

Clariſſimus autem Mead, in eleganti illo de venenis tractatu, varia ejus ſymptomata longe acuratiùs deſcripſit, eorumque cauſas pleniùs explicavit.

A Graecis ὑδροφοβια, a Latinis *Rabies Canina* appellatur; quia canes *, prae caeteris animalibus rabiei ſunt obnoxii. Feles tamen et urſi, leopardi, equi et aſini †, rabie etiam aliquando ſponte ſua, et abſque ullo contagio, corripiuntur. Et Baccius ‡, ſe gallum quendam gallinaceum veterem, qui roſtro ſiniſtram domini manum adeò laeſerat, ut ſanguinis guttae aliquot effluxerint, unde tertio pòſt die mortuus eſt, vidiſſe ait: cujus rei cauſa diſtichon hoc fecit.

Dum furit in dominum Gallus, perimitque veneno
Commorſum, ergo alius non baſiliſcus erit.

Sed utut ſit in caeteris animalibus, hominibus fere ſemper malum hoc ex contagio oritur; quanquam non deſunt exempla, quae aliam hujuſque rei cauſam agnoſcunt; de quibus vide Martinum Gueriſch, de Hydroph.

Insigne etiam exemplum in actis Edinburgenſibus memoratur ||.

Vix

* Aegineta lib. v. cap. 3. p. 251.
† Aurelianus de morb. acut. cap. ix. p. 218.
‡ Proleg. ven. et antidot. p. 17.
|| Med. Eſſ. Vol. 1. Art. 29.

Vix autem ullius veneni tam multiplex contagio. Ex morſu enim vel leviſſimo, vel ſpumae contactu recentis, vel oſculo cani rabido dato, in corpus furtim illabitur. Neque ullum reperitur venenum cujus vis tanta eſt, et virus tam atrox, nec quo hominis natura adeo prorſus immutatur, nec quod, cum primum erumpere coepit, tam violenter ac celeriter graſſatur, quodque ſimul tamdiu latere poteſt in corpore abditum. Namque alios confeſtim furor occupat, alios non niſi poſt tres, quatuor vel ſex menſes. Galenus * quendam poſt totum annum, alium celeberrimus Mead † poſt undecim menſes, furentem vidit. Et Boerhaavius ‡ affirmare haud dubitat, homines viginti annos poſt morſum, vel ſpumae contactum, hoc malo nonnunquam opprimi.

Obiter hic obſervandum, morſum canis rabidi nihil à communi morſu differre, ac eadem facilitate curari.

Bono corporis habitu fruentes, hoc contagio inquinati, diverſis quidem temporibus, ſaepiſſimè autem poſt triginta, vel quadraginta dies, hoc fere modo aegroteſcere ſolent.

Dolet

* Comment. ii. in 1. prorrhet. Hip.
† Eſſ. on poiſons, p. 137.
‡ Aphor. 1137.

Dolet * locus cui impreſſa contagii labes primo fuit; dein vagi per alia, praeſertim autem loca vicina, dolores; tum aeger laſſitudine, et in membris inquietudine, corripitur; ſequitur anxietas quaedam inanis, et iracundia cujus nulla cauſa afferri poteſt; corporis torpedo; ſomnus convulſionibus ac ſubſultibus interpellatus; triſtitia; ſolitudinis deſiderium; reſpiratio difficilis. Atque hic primus morbi gradus ſatis aptè appellatur. Attamen, etiam nunc venaeſectione facta, ſanguis videtur purus et incontaminatus.

Tum poſtea mala haec ingraveſcunt; et accedit inſuper, quae hujus morbi certiſſima ſigna haberi poſſunt, horror ad aquae conſpectum, vel aliorum quorumcunque liquorum, et rerum pellucidarum, aut inſtar ſpeculi reflectentium; horripilatio; tremor; appetitus proſtratus; manente tamen facultate ſolidae cujuſvis offae deglutiendae; attactus alicujus liquoris labiis praeſertim vel lingua, creans fere ſemper tremorem, convulſiones atque furorem; vomitus glutinis fuſci, bilioſi, aut bilis porraceae; febris; priapiſmus; cogitationum alienarum et inſuetarum ſeries quam maxime perturbata. Et hic ſecundus eſt morbi gradus.

In tertio, ad quem nunc pervenimus, omnia ſupra memorata exacerbantur; ſequiturque oris hiatus; lingua aſpera

* Boerhaave Aph. 1138.

aſpera exerta; ſitis ingens; vox rauca; furor ad humorum adſpectum contactumve, aut quoties aeger aliquid bibere conatur; ſpumae in ore collectio, quam in alios exſpuere nititur; ardor obvia quaeque mordendi invitus; ſudor gelidus; denique ſumma eum occupat rabies. Tunc homo infelix aegerrimè reſpirans, inter diras convulſiones animam reddit.

PRIMUS gradus fere in triduum, ſecundus in biduum plerumque protrahitur, et tertius miſeri vitae, viginti quatuor horarum ſpatio, finem imponit: ſed, in diverſis aegris, diverſum eſt graduum tempus.

QUI hoc morbo laborant vix unquam, quod ſane mirum videtur, adeo rationis expertes ſunt, ne quidem in triſtiſſimis paroxyſmis, quin familiares cognoſcant; eoſque nonnunquam hortentur, ut ſibi caveant, ne nimium appropinquando infortunium ferant. Quinetiam contra maniam ipſam aliquando ratiocinantur; et Aetius *, ſi ei fides habenda eſt, hac ratione philoſophum quendam ad ſe rediiſſe narrat: " Philoſophus quidam, ait ille, " à rabioſo cane morſus, et generoſo animo affectioni " reſiſtens, in conſequens ratus canem in balneo ap- " parere: apparebat etiam ipſi quemadmodum aliis " hoc modo affectis: ratiocinatus igitur et ſic ſecum lo- " cutus: quid balneo et cani commune eſt? Supera-

* Pag. 115.

" vit affectionem, et ſanatus ab affectione, ubi citra ti-" morem bibiſſet." Verum aliquid intus eos violenter impellit, cui neutiquam reſiſtere poſſunt.

Nec primo quidem horrent aquam aut ullum alium liquorem, ſed ſiticuloſi deſiderant, ac adlata laetis oculis aſpiciunt, et ſimul mirantur ſe deglutire non poſſe. Eorum etiam nonnulli fuerunt, qui hoc, amicorum monitu, aliâ atque aliâ viâ, ope praeſertim calami, ſumma ope aggreſſi, nec voti compotes exclamârunt, rem eſſe nimis arduam; ſimulque circumſtantes obſecrârunt, ne ultra impellant ad rem tentandam, quam toties experti fruſtra plane impoſſibilem judicârunt.

Ut autem hujus morbi indoles melius intelligatur, haud abs re erit diſquirere, quamobrem canes caeteris animalibus ad rabiem ſint procliviores, et quo pacto illis ſponte ſuperveniat: ita enim ſe res habet, ut ſupra memoravimus, idemque non ſolum experientia conſtat, ſed et ex ſcriptis omnium fere auctorum qui hunc morbum diligenter explorârunt: Galenus enim * non ſolum hoc aſſeveravit, ſed et diſertis verbis affirmat, in quo ſane hallucinatur, nulli brutorum niſi canibus hoc malum ſupervenire, eiſque ſolis accidere. Et Alexander Aphrodiſius †, ex animalibus ſolos canes aeſtate rabidos fieri, idemque Fracaſtorius ‡ memoriae prodidit.

Petrus

* De loc. affect. lib. 6. cap. 5.

† Lib. 6. prob. 76.

‡ De morb. contag. cap. 10.

Petrus Salius Diverſus * arbitrari videtur, aliquid ipſi canum naturae inſitum, quo illi omnium beſtiarum, ex humorum corruptione, ex eſu potuque ciborum liquorumque putridorum, ſaepiſſimè in rabiem feruntur. Neque certe a fide abhorret, canes, ſaeviente peſtilentia, aëreque corrupto, in rabiem procliviores eſſe quam alias. Itaque diram quandam peſtem deſcribens, quae per Alpinas et Venetas regiones graſſata eſt, ſic canit divinus Vates † :

Hic quondam morbo coeli miſeranda coorta eſt
Tempeſtas, totoque autumni incanduit aeſtu;
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum;
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
* * * * * * * * * * * * * *
Hinc laetis vituli vulgo moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad praeſepia reddunt.
Hinc canibus blandis rabies venit.——

Sunt et nonnulli auctores qui exiſtimant rabiem hanc ex vermibus oriri; qui in corpore canis rabidi, praeſertim cerebro, paſſim inveniuntur: cujus ſententiae eſt Deſſault, in diſſertatione ſua *de Hydrophobia*, tractatui de lue venerea annexa; in qua complurium ſcriptorum, tum veterum tum recentiorum, qui ſecum ſentiunt, auctoritate fretus, hanc opinionem penitus confirmâſſe ſibi videtur.

Credit

* De affect. particul. cap. 19.

† Virg. Georgic. 3.

Credit autem * Plinius, hujus rabiei cauſam eſſe vermiculum quendam ſub illorum linguis latentem. Eſt, inquit, vermiculus in lingua canum, qui a Graecis λύσσα ſive λύττα appellatur, quo exempto, infantes catuli nec rabidi fiunt, nec faſtidium ſentiunt. Hanc autem Plinii opinionem falſam eſſe, planè perſuaſum habeo. Nam ipſe, canum ſaepiſſimè linguis accuratè admodum ac diligenter diſſectis, vermem nunquam ullum inveni. Conſpicitur equidem, ſub eorum linguis, congeries verminformis teretis figurae, quam † nonnulli plexum eſſe nervoſum crediderunt; neutiquam autem congeries haec mihi nervoſa, cum ſubſtantia ſit omnino diſtincta, quae nulli alii connectitur, ſed glanduloſa potius videtur. Nec ex eo, quod nullum ductum excretorium obſervavi, quod certe confitendum eſt, ſequitur nullum eſſe; poteſt enim eſſe talis ductus, quamvis, propter tenuitatem ac ſubtilitatem liquoris per illum ſecreti, adeo parvus ſit, ut conſpici non poſſit. Eoque magis mihi haec ſententia arridet, quod ex ſubſtantiae hujus compreſſione ſecuta eſt liquidi alicujus ſubtilis parva effuſio. Atque, ſi ita ſe res habet, haud parum conducet ad explicandam ſimul et confirmandam communem illam opinionem, morſum canis qui, poſt direptionem hujus ſubſtantiae, fit rabidus, rabie hominem afficere non poſſe: quia, nimirum

* Hiſt. nat. lib. 29. cap. 5.

† Codronchus lib. 2. de hydroph. f. 223. Aldrovandus lib. 6. de inſect. cap. 3. f. 223. Stalpart Vander Wiel, obſervat. rar. cent. 1. obſerv. 100. p. 444.

nimirum veriſimile eſt, particulas venenoſas, hâc glandulâ in ore ſecretas, non amplius ſecerni poſſe; adeoque magis intimè, ac majori copiâ cum aliis corporis humoribus miſtas fore: nec tamen congeries illa rabiei cauſa agnoſcenda: quia canes eam habentes eadem fruuntur ſanitate, quâ caeteri qui eâ omnino privantur.

Omnium autem veriſimillima, rationique maximè conſentanea mihi videtur ſententia celeberrimi Mead, qui cenſet, praecipuam hujus morbi in canibus cauſam eſſe, quod ~~non~~ exſudant ~~nec~~ ac parum perſpirant, quemadmodum faciunt homines, qui exindè à multis conſervantur morbis. Loco enim ſudoris ac perſpirationis, canes habent glandulas ſalivales, quae ad morboſam materiam, particulaſque noxias expellendas, minus aptae ſunt, quam in hominibus glandulae miliares; et, ex defectu evacuationis per cutem, plurimae particulae noxiae in corpore retinentur; unde oritur materia venenoſa. Ex continuis magnarum parvarumque arteriarum pulſibus, ut et calore corporis animalis, hae particulae ſalinae cum fluidis animalis commiſtae, novam prorſus texturam, novaſque acquirunt proprietates; quae eas minores reddunt, efficiuntque, ut naturam ſalis alcalini magis referant; et, quo diutius continuantur hae operationes, eo magis mutantur ſales, minoreſque fiunt et acriores; et, ſecundum partium coheſionem, magis vel minus volatiles evadunt.

Itaque haud abſimile eſt vero, particulas haſce ſalinas, poſtquam adeo attenuantur, ut in fluido certae cujuſdam ſubtilitatis ſuſpendi, adeoque in vaſa magnitudinis huic accommodatae ingredi poſſint, mox quidem noxias fieri, ac earum propterea expulſionem natura deſiderat; tale fluidum eſt liquor perſpirabilis; talia autem vaſa ſunt corporis emunctoria, renes, et canales inteſtinales. Et veriſimile admodum eſt, haſce ſalinas et oleoſas ſanguinis particulas, continuis arteriarum actionibus, adeo ſubtiles reddi poſſe, ut in fluido, liquore perſpirabili multo tenuiori, contineantur, ejuſque ope ferri in minutiſſimas cerebri arterias, imo ad vaſa uſque quae proxima ſunt magnitudine nervis; ibique acrimoniâ ſuâ teneras irritare fibrillas, fluida omnia corrumpere, et ſpaſmodicas, inter innumeros vaſorum arterialium ramulos, gignere contractiones. Et quamvis particulae illae acerrimae, atque admodum ſubtiles, aut veneni virus, omni fluido, ſinguliſque corporis partibus inſint, maxime tamen in illis partibus abundabunt, ubi attenuatae partes ſecernuntur, ſpiritu nimirum, urina et ſaliva; ideoque liquores illi paſſim replentur particulis venenoſis.

Quemadmodum igitur in variolis, liquor perſpirabilis, fluidaque quae in cutaneis includuntur vaſis, particulis varioloſis maxime abundant; et propterea ea ſola, ſicuti ego quidem exiſtimo, hujus morbi contagionem in alios transferunt: ita in morbo, de quo nunc agitur, ſpiritus et ſaliva, utpote particulis venenoſis omnium

maximè

maximè referta, citius homines, quam ulla alia corporis ſecretio, rabie afficiunt.

Ex ſupradictis, cauſas diverſorum ſymptomatum, in hominibus à cane rabido morſis apparentium, facilius erit explicare.

Morbum hunc nervoſum eſſe patebit, ex eorum ſymptomatum recognitione, eaque ſimul comparando cum his quae in aliis morbis contingunt; miris autem indiciis ſe prodit, quae, quamvis paululum diverſa, aliqua tamen ex parte in omnibus inveniuntur miſerrimis aegris. Atque his omnibus commune eſt, quod objectorum in ſenſus impreſſionem aegerrimè ferant, omnis ſenſatio eos dolore afficiat, leviſſimus contactus ac membrorum attritio noceat, ſonus vel minimus offendat, imo oſtii crepitu audito, metu exanimes paveſcant, haud aliter quam ſi domus collapſura eſſet. Lux adeo oculis ingrata, ut ipſe rei alicujus albae conſpectus iis intolerabilis ſit. Similiter etiam internae membranae adeo tenerae ſunt, ut ſenſus naturales perferre nequeant, aeris frigus etiam commune pulmonibus moleſtum, et quoties urinam reddunt, magnis in urinariis meatibus, cruciantur doloribus. Habitus oris aut irae furoriſque indiciis foedus eſt, aut permultis luctûs ac deſperationis ſignis triſtis; et ab initio febris, uſque ad finem, ſomnum inire nequeunt.

Quando autem ſymptomata maniaca ſunt, tantum eſt muſculorum robur vi quadam convulſivâ agentium, ut doctiſſimus Mead * ſe hominem quondam vidiſſe affirmet, qui, funibus lecto arctiſſimè illigatus, eos ſubito uno impetu diſrupit, moreque paralytici ſtatim mortuus eſt. Morbus hic, haud dubiè, praecipuè conſtat morboſa ſpirituum animalium affectione; ſed quo pacto, ex tam levi cauſa, quam canis rabidi morſu, vel ſpuma, oriatur, adhuc incertum eſt; quippe quod animo vix concipi poteſt.

Ornatissimus ille vir, de quo modò mentionem fecimus, arbitrari videtur, fluidum nervoſum eſſe portionem quandam materiae elaſticae univerſalis a Newtono memoratae, cum ſubtilioribus ſanguinis partibus permiſtum, in cerebro ſecretum, et in nervorum fibrillis incluſum; facillimèque mutari poſſe corporibus minutiſſimis magnaque vi praeditis, et ſumma vi ac velocitate agere; quorum utrumque experimentis electricis abundè patere putat; et quemadmodum id quod ex liquoribus fermentatis ejicitur, ſimilem motum communicare poteſt liquoribus ejuſdem generis; ita ſalivam animalis igneis particulis turgidam, in eam aeſtuante ſanguine injectis, vulneris operâ, cum nervoſo fluido commixtam, id violenter concitaturam; unde orientur ſecretio in cerebro impedita; circulatio ſanguinis perturbata; febris cum delirio; convulſiones, &c. Horum ultimum probare conatur ex eo, quod ſymptomata omnia nervoſa ſint, ex comparatione

* Eſſay on poiſons, p. 136.

comparatione hujus cum aliis diverſi generis venenis; et denique ex eo, quod ſanguis non primo quidem impurus videatur.

Vix dubitandum eſt, pleraque alia venena in fluidum nervoſum praecipuè agere, neque interea ſanguinem corrumpere. Illico autem, dictoque citius, impetum faciunt. Cum primum enim virus diſſolvitur, aut humore caloreve corporis dilatatur, vis ejus maligna ſe prodere incipit; ut in venenis tarantulae, diverſique generis viperarum, in arſenico, cicuta aquatica, opioque, videre eſt. Et miraculo certe eſt, venenum hoc tamdiu cum fluido illo permiſceri, neque tamen ex illo ullum damnum oriri.

Praeterea autem, ſanguis nonnullis quidem venenis manifeſtè perturbatur; viperae praeſertim communis, et Haemorrhoidis cujus morſum haemorrhagia ex omnibus corporis partibus continuò ſequitur; et quamvis, in primo morbi gradu, ſanguis nequaquam morbidus videatur, minimè tamen exinde ſequitur eum non affici; ita enim ſe res habet, in omnibus morbis contagioſis quos, ut in lue venerea, variolis, et morbillis, ſolos ſpiritus animales afficere, haud quiſquam affirmabit. Venenoſa canis ſaliva, vulneris operâ, apertis fractiſve ſanguineorum vaſorum extremis applicatur, et abſorbentium venarum vi in ſanguinem recipitur, perque totum diſtribuitur corpus; haeque admodum ſubtiles agileſque particulae, ita cum ſanis corporis humoribus permiſtae, eos

ſibi ſimiles reddunt. Hoc, quamvis intellectum noſtrum omnino ſuperet, in omnibus tamen morbis contagioſis obſervari poteſt. Uña enim materiae varioloſae guttula apertis vaſorum extremis, in corpore ſano, applicata, brevi tantum ſanorum corporis humorum ſibi aſſimilat, ut ſingulae guttae puris ex morbo geniti, aeque particulis varioloſis impleantur, morbumque haud minus propagare poſſint. Idem etiam in lue venerea videre eſt.

Experientia conſtat, diverſa contagiorum genera diverſis quidem temporibus morbum procreare. Ita, in variolarum inoculatione, pus ſanguini ineſt quatuor aut quinque dies, antequam tantum ejus ſibi aſſimilet, quantum ad febrem excitandam ſat eſt, et in Rabie multo diutius; quod veriſimiliter exiguae veneni copiae tribuendum eſt, et ſanguini in minutis cerebri vaſis languido flumine labenti. Unde fortaſſis materia venenoſa, non niſi longo poſt tempore, ad haſce minutias perveniet, ubi vim ſuam manifeſtat; et poſtquam tantum ſanarum humorum particularum ſibi aſſimilaverit, quantum ſat eſt, eaeque particulae in maxime ſubtilem ſeriem cerebri vaſorum pervenerint, ibi eodem fere modo agent, quo eas in cane agere ſuprà demonſtravimus; cumque aegris mens ſana incolumiſque aliquamdiu maneat, probabile eſt, morbum hunc potius ex illius materiae acrimonia nervorum originem nimium ſtimulante, quam ex morbido ipſius fluidi nervoſi ſtatu, oriri.

In

In hoc morbo muſculi gutturis deglutitioniſque convulſionibus praecipuè obnoxii; hâc forte de causâ, quia partes illae in ſano etiam corporis habitu, ad convulſiones ſint procliviores. Conſtat enim deglutitionem eſſe convulſivam plurimorum muſculorum ſimul agentium contractionem, quando membrana palati, pharyngis, &c. boli in ſtomachum deſcenſu, irritatur.

Cum igitur in morbo, de quo nunc agitur, minimus ſtimulus magnum ſpirituum animalium fluxum in eas partes adigit, haudquaquam abſimile vero eſt, bolo, priuſquam altius deſcenderit, oris linguaeque membranam irritante, deglutiendi organa convulſionibus ſubitò corripi, linguam retrahi, adeòque oeſophagi aditum omnino praecludi; dum aeger haſce convulſiones nequaquam avertere poteſt: praeterea, iidem ſpaſmi, partium ſympathiâ, vicina etiam loca occupant. Hinc dolor extremus, quo tunc repente cruciatur miſerrimus aeger, ex ſuffocatione ortus. Sed, ingraveſcente morbo, omnes ejus nervi convulſionibus corripiuntur; quae quidem, quoties aliquid deglutire conatur, univerſales fiunt, magnoque eum impetu invadunt.

Mixturam bilis ſalivaeque evomendo, excoriantur guttur et ſtomachus. Hinc horror ille omnium ciborum, ac praeſertim aquae, quia ea nimirum pernicioſos illos ſales, quibus ſaliva plena eſt, diſſolvit. Praeterea, ut ad liquida deglutienda majore mentis molimine opus eſt, ita

convulſiones

convulſiones inde natae violentiores ac magis univerſales fiunt.

Ex minimo nervis ſtimulo admoto, oritur ſpirituum animalium affluxus. Hinc ſenſus omnes dolorem pariunt, et internae imagines adeò vividae ſunt, ut mens iis vehementer commoveatur, ſpiritusque magna vi in muſculorum organa impellat.

Ex violentis ſubitiſque fluidi nervoſi motibus, convulſionum dolore, ac ſtimulo veneni, in parvis corporis vaſis, naſcitur febris; et delirantes nunc mania nunc melancholia laborant, prout corporis temperies ad hanc aut illam proclivior eſt. Eodem modo in ebrietate diverſos homines diverſimodè affectos videmus.

Alia Rabiei ſymptomata ex febris, delirii et convulſionum effectibus facile explicari poſſunt.

Ipsa quoque veneni operatio citior vel ſerior eſt pro laeſarum partium differentia, pro vario gradu morbi in cane mordente, et pro temperie hominis morſi, pro diverſo victu, medicamentiſque adhibitis.

Prognoſis. Eſt ſaevus morbus, pergravis, ac periculoſus, et plerumque lethalis; verum, ſi poſt morſum ſtatim petat auxilium, quanquam curatu difficilis, attamen non lethalis.

Ad

Ad curationem nunc progrediendum, quae hoc modo tentari poteſt.

1mo. Veneni in ſanguinem abſorptionem impedire; 2do. Particulas venenoſas jam abſorptas, cumque ſanguine mixtas, expellere conandum eſt.

Ut primum ſcopum attingamus, mox augeatur vulnus, idque, ſimul et vicina loca ſatis altè ſcarificentur; magna exinde copia ſanguinis effluat, et in hunc finem calidâ laventur aquâ, deindè admoveantur cucurbitae. Hoc modo venenoſa canis ſaliva evacuari poteſt, antequam vel minima pars ejus abſorbeatur. Nonnullis etiam placet ſtatim poſt acceptum vulnus loci aduſtio; ſed potius, ſi id commodè ac tutò fieri poteſt, pars laeſa omnino reſcindenda eſt: atque hoc modo primum ſcopum attingere licet.

Quod ad ſecundum attinet, nempe, ad expellendas particulas venenoſas jam abſorptas; hoc praecipuè fit, naturales corporis evacuationes promovendo, quarum eam, quae per urinam fit, feliciſſimos habuiſſe exitus patet ex remediorum recenſione, quae a peritiſſimis, tum veteribus, tum recentioribus medicis, ad hunc morbum curandum, optima ducuntur. Atque haec ſunt cineres cancrorum fluviatilium, ſpongia cynorhodi, oxylapathum, allium, agrimonia, et lichen cinereus terreſtris; ſed, omnium optimum remediorum, eſt balneum frigi-

dum. Hoc enim Celſus miſerrimi hujus mali remedium fieri poſſe putat, etiam poſt aquae metum, "Nec opi-
"nantem in piſcinam, non antea ei proviſam projicere,
"et ſi natandi ſcientiam non habet, modo merſum bibe-
"re pati, modo attollere; ſi habet, interdum depri-
"mere, ut invitus quoque aqua ſatietur. Sic enim ſimul
"et ſitis, et aquae metus tollitur; et ſi quid prodeſt bal-
"neum frigidum etiam in hoc morbi gradu, quantum
"inde boni expectandum, cum tempeſtivè adhibetur?"
Et affirmat Tulpius *, ſe vidiſſe neminem, cui tempeſtivè in mare projecto, quicquam ſiniſtri poſtmodùm evenerit; ſed parum refert an aegri in mare vel in fontem aliquem frigidum projiciantur.

Minime quidem ſperandum, unam vel duas immerſiones quicquam profore; hae autem quotidiè per plures ſeptimanas repetitae magno uſui ſunt; corpus enim corroborant, ac ſecretiones urinae et perſpirationis mirum in modum promovent; et ait praeclarus ille Mead, de quo toties mentionem fecimus, ſe felices harum immerſionum effectus, una cum lichenis cinerei terreſtis uſu, ſaepiſſimè expertum, neque in alio quovis morbo remedium aequè certum unquam inveniſſe. Primùm omnium, novem vel decem ſanguinis uncias extrahi jubet; tum cinerei terreſtris ſemiunciam, et piperis nigri drachmas duas in pulverem redactas, et in quatuor doſes diviſas,

* Obſerv. Med. 20.

viſas, unam manè, per quatuor proximè ſequentes dies ſumi in ſemilibra lactis bubuli; deinde balnei frigidi uſum per totas ſex ſeptimanas praeſcribit.

Hisce remediis haud abs re forte eſſet ſingulis ſeptimanis addere emeticum turpethi mineralis et ipecacuanae. Purgantia etiam, ſicuti in aliis morbis nervoſis magnopere proſunt, ita in hoc morbo, ea haud forte alienum erit nonnunquam adhibere. Et ſi verum eſt polygalam Virginianam, Angl. Seneka *rattle ſnake-root*, tantum conducere ad morſum curandum celebris illius ſerpentis Americani, ſtrepitum ex cauda edentis, ex analogia, eam in hoc quoque morbo haud inutiliter applicari poſſe, veriſimile admodum eſt.

Moschus et cinnabaris, cantharides, cortex peruvianus, frictio unguenti Neapolitani parti laeſae applicati, muſica, ac multa alia feliciter hic aliquando adhiberi dicuntur. Sed parum haec omnia proderunt, niſi tempeſtivè, et antequam nata ſit hydrophobia, applicentur. Plerique enim putant id nimis verum eſſe, quod canit Poeta *,

Tollere nodoſam neſcit medicina podagram,
Nec formidatis auxiliatur aquis.

HORRENDUM

* Ovid Ep. ex Ponto 3. lib. 1.

Horrendum ſanè malum, ut videmus, rabies canina; nec humani generis quiſquam hydrophobo infelicior eſt, et magis equidem miſerandus. Heu quantum mutatus ab illo qui antea fuit! Heu hominem infelicem! quantâ undique premitur miſeriâ? Sed mors, nunc ferè certa et inevitabilis, cito eum omnibus hiſce malis eripiet. Priuſquam igitur huic qualicunque diſſertationi finem imponamus, liceat omnes, in quorum manus incidat, hortari, ut ſibi praecaveant, neu cani parcant, aut alii cuivis animali quantumvis dilecto, in quod vel minima rabiei ſuſpicio cadit; ſed ſtatim, ne poenas pendant ſtultitiae ſuae, interficiant. Nam,

Quid quiſque vitet, nunquam homini ſatis
Cautum eſt in horas.

Horat. carmin. lib. 2. Od. 13.

FINIS.